

IN INCLITA UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANEA MONACENSI

RECTORE MAGNIFICO VIRO EXCELLENTISSIMO
BERNARDO HUBER
RERUM POLITICARUM DOCTORE
RERUM AD REDITUS PUBLICOS PERTINENTIUM PROFESSORE ORDINARIO
SPECTATISSIMUS VIR
ANDREAS HOEFELE
FACULTATIS PHILOSOPHIAE HOC TEMPORE DECANUS

ILLUSTRISSIMAE FEMINAE

CATHARINAE FABRICIUS-HANSEN
OSLOENSI

GERMANICAE LINGVAE IN UNIVERSITATE OSLOENSI PROFESTRICI
PRAEMIO QUOD A IACOBO GULIELMOQUE GRIMM FRATRIBUS
ET PRAEMIO QUOD A CONRADO DUDEN NOMEN DUCIT MANHEMENSI
ET PRAEMIO QUOD FUNDATIO NANSEN EIS CONSTITUIT
QUI RERUM CAUSAS PRIMAS EXQUIRUNT
MERITO EXORNATAE
ET ACADEMIAE SCIENTIARUM NORVEGICAE
ET REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARUM NORVEGICAE NIDROSIENSIS SOCIAE

QUAE CUM IN LINGVAE GERMANICAE TEMPORA MODOSQUE TAM DILIGENTER INQUISIVISSET
UT ET IPSA MULTA INVENIRET ET ALIIS NOVAS AD INVESTIGANDUM VIAS APERIRET
ET CUM LEGES SYNTACTICAS SEMANTICASQUE LINGVAE GERMANICAE
ORATIONISQUE PROSAE NORVEGICAE NORMAS LUCIDISSIME DESCRIPSISSET
FUNDAMENTA STABILISSIMA IECIT
UT HAS LINGVAS VIA AC RATIONE CERTA INTER SE COMPARARE POSSET

QUAE NON SOLUM ID DICENDI GENUS
QUO VIRI DOCTI GERMANI IN ARTIBUS DISCIPLINISQUE UTI SOLENT
ACCURATISSIME EXPLORAVIT ET EXPLICAVIT
SED ETIAM UT USUS LINGVAE GERMANICAE IN RE PUBLICA LITTERATORUM RETINEATUR
COPIOSIS GRAVIBUSQUE SEMPER VERBIS MONET

QUAE INTER GRAMMATICOS QUI NUNC UBIQUE GERMANICAE LINGVAE STUDENT
PRINCIPEM QUENDAM LOCUM SIBI VINDICAT
CUM OMNIUM POPULORUM VIRIS FEMINISQUE DOCTIS ADMIRATIONI SIT
PROPTER EGREGIAM DOCTRINAM ET HUMANITATEM
QUA BONAS ARTES QUALES IN EUROPA A MAIORIBUS ACCEPIMUS
PROFITETUR ATQUE AUGET

HUIC MULIERI DOCTISSIMAE HUMANISSIMAE
COMMODORUM HUMANI GENERIS SEMPER STUDIOSISSIMAE

DOCTRICIS PHILOSOPHIAE GRADUM HONORIS CAUSA

EX UNANIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM DECRETO CONTULIT

IN HUIUS REI TESTIMONIUM HOC PUBLICUM DIPLOMA
SIGILLO MAIORE UNIVERSITATIS ADIECTO
FACULTATIS DECANUS ATQUE RECTOR UNIVERSITATIS IPSI SUBSCRIPSERUNT

MONACHII DIE XXI MENSIS IUNII ANNO DOMINI MMVII